



Oratio de natiuitate Domini et seruatoris nostri Iesu Christi

<https://hdl.handle.net/1874/424761>

fec.

9

Oratio
DE NATIVI-
TATE DOMINI
ET SERVATORIS NO-
STR I IESV CHRISTI,
HABITA

A Theodorico Snepffio, D.

Anno Salutis 1579.



T V B I N G Æ,
Excudebat Georgius Gruppenbachius,
Anno 1580.

OLIVIO

DE NATIVIS

LATIBUS DOMINI

ET SERVAVIT

IN

ANNO

1770

1770



1770

1770

1770

3

NOBILIBVS ET STRENVIS IV.

VENIBVS, IOANNI LVDO-
uico & Helmhardo, equestris ordinis à Kirch-
perg, in Seusenbug & Viehoffen, artibus
liberalibus & Philosophiæ Tubingæ
operam dantibus, Domi-
nis suis S. D.



QVM CONSILIO SVASVQVE
amicorum, quorum ego authoritatem propter
doctrinam & sapientiam ipsorum singularem,
maximi facio, flagitantibus etiam Theologiæ
Studioſis, hanc meam de Sacrosancta Christi na-
tuitate orationem edere constituissem: visum
mibi est, eam vobis, nobilissimis adolescentibus, inscribere: & simul
precari noui & felicitis anni auspicia. Etenim, cum ex Doctissimo
viro, D. Casparo Crazero, Theologiæ Candidato, Præceptore ve-
stro, intellexerim, vos cum insigni nobilitate vestra, aliam etiam
melioſerem, eruditionis, virtutum & pietatis coniungere: planè mihi
persuasi, hoc quamuis exiguum munusculum, quod cupio esse mei
erga vos studij qualescunq; indicium & μνημόσυλον, vobis non in-
gratum esse futurum.

Deum æternum Patrem Immanuelis & Seruatoris nostri
Iesu Christi, toto pectore oro, vt Spiritus sancti sui gratiam vobis
largiatur, ad felicem imitationem pietatis, virtutum, animiq;
magnitudinis, quæ ornamenta in fortissimis illis heroibus, D.
Bernharto, proauo, D. Ioanne, auo, & Guilhelmo, D. patre vestro,
Equitibus auratis, & nobilissimis maioribus vestris, excellentis
memoriæ, olim conspexistis.

Nunc autem illis feliciter in Seruatore Domino defunctis, exempla omnium virtutum & ornamentorum in Dominis tutoribus vestris proposita habetis. Videlicet, in Nobili & Srenuo Domino, Seruatio à Neydegg, in Rastenburg & Wildegg, &c. Casarea Maieft. Consiliario praestantissimo, sene sapientissimo & grauissimo. Deinde etiam in Maximiliano à Mæmning, Domino in Kirchberg & Sitzenthal ad Puhelam, &c. & Imperatorie Maieftatis Consiliario: quem Generosi & Nobiles Domini Prouinciales, quasi ex & totius Austriae, Capitaneum summum Turcicis incursionibus opposuerunt. Quod beneficium honeste & liberalis educationis, & praeterea incitamenta illa domestica ad virtutis & omnem vitae elegantiam, cum diuinitus vobis contigerint: omnes boni quasi explorata in spe esse videntur, vos aliquando in successionem & gerenda Reipub. & laudis immortalis maiorum vestrorum venturos esse. Eam autem de vobis opinionem confirmant praecleara tyrocinia, quae iam facitis. Nam cum strenue ad decus patrium quotidie elaboretis: dubium non est, vos in hoc honestissimo conatu, Deum comitem & adiutorem habituros esse.

Bene & feliciter in Iesu Christo valete. Datae Tubingae,

Anno Christi millesimo, quingentesimo,

octuagesimo: Mense

Ianuarua.

Theodoricus Snepffius, D.

Præclar

PRAECLARE TER MAXIMVS ILLE APO-
 stolus scripsit, certū esse sermonem,
 & dignū quem modis omnibus am-
 plectamur, quòd Christus Iesus, in
 hunc Mundum venerit, vt peccato-
 res saluos faceret. Nam si ad permagnam nostrā
 curam pertinere existimamus, vt ij libri, qui de
 medendi ratione accuratiū scripti sunt, asseruen-
 tur, & studiosissimè euoluantur, quòd ex ijs præsi-
 dium aliquod vitæ caducæ speremus: si Medicos
 doctos & industrios, multis alijs antepone-
 iudicamus: propterea quòd illi in tuenda & recu-
 peranda valetudine, videantur esse artifices: qua-
 re non maximi faceremus eum sermonem, qui
 nobis ad immortalitatem, & medicum & medi-
 cinam monstrat? Est autem tota illa commenta-
 tio, in eo posita, vt sciamus, Iesum Christum, Pa-
 tris sapientiam, & Mundi vitam, assumpta carne,
 ad nos venisse, vt esset nobis ἀρχιαρχός: & id nobis
 restitueret, quod ex toto humano genere amif-
 sum, recuperari aliter non poterat, nisi miseria &
 inopiā nostra, singulari intercessoris indulgentia
 subleuaretur. Quamquam autem in hac tam ne-
 cessaria meditatione, toto vitæ nostræ tempo-
 re, elaborandum nobis est: tamen præclare fece-
 runt maiores nostri, qui certos aliquos dies con-
 stituerunt, quibus potissimū de incarnatione

Seruatoris nostri, & quidem ita ageretur, vt qui essent dociles, memoriam tantæ rei ad omnem perpetuitatem confirmarent.

Illustriss. etiam Princeps Eberhartus, Dux Vvirtembergicus & Teccius, Comes montis Pelligardi, &c. Mecœnas studiorum maximus, & Academię huius toto orbe celeberrimę fundator, excellentis memoriæ, vidit, quantum in ea re positum esset: eamque ob causam instituit, vt antediem Natalem Christi, oratio de Sacrosancta eiusdem natiuitate haberetur. Non quidem ignorabat sapientissimus Princeps, ea de re haberi conciones populares: sed hoc agebat, vt omni via ac ratione, iuuentus ad curam & attentionem sacre huius commentationis inuitaretur. Placuit etiam ea consuetudo reliquis Principibus Vvirtembergicis: placuit hoc amplissimo Vniuersitatis Senatui. Et sanè Facultas Theologica, laudatissimum hunc morem hæctenus obseruauit: mihi etiam iniunxit, vt hoc tempore, de re tanta verba facerem. Quamuis autem maciem & squalorem orationis meæ agnoscerem, ac scirem, multos esse, qui cum dignitate ea de re dicere possent: tamen passus sum mihi hoc persuaderi: quòd scirem, vos omnes ea humanitate esse, vt ne populares quidem meas conciones contemnatis, quamuis illæ omni propè cura compositionis ac-

cura-

curatiōnis destitutæ, ad captum imperitæ plebeculæ instituantur. Intelligitis etiam pro singulari vestra prudentia, à Theologo non verborum splendorem, sed veram ac solidam tractationem earum rerum, quæ ad bene & Christianè viuendum requiruntur, & quidem ex fontibus sacrorum librorum desumptam, expectari. Itaque, adolescentes, ab alijs Præceptoribus, quos & multos, & variè doctos, præterea etiam industrios habetis, Philosophiam ac Oratoriam discite: à me verò simplicem minimeque fucatum sermonem, sed verum illum tamen, de natiuitate Domini & Seruatoris nostri Iesu Christi, æquis animis audite. Nec dubito, me facilè impetraturum orationi meæ fauorem vestrum: cùm ea sit omnium pietas, vt Christo vestro, nihil vobis iucundius & exoptatius sit: cuius vel solum nomen pronunciatum, incredibiles eius amores concitet. Ne verò prolixiore Exordio vos detineam, & ipsam intelligatis, quid à me expectare debeatis, paucis capita orationis meæ proponam: Initiò ostensurus, nullam aliam rem vestra diligenti commentatione curaque magis dignam esse. Deinde docebo, eam non esse ociosam speculationem, quales sunt Academicorum *ἑρωσι*, & Ideæ Platonice: sed coniunctam cum summa consolatione vestra, Ad extremum de-

demonstrabo, beneficiorum diuinorum obliuionem esse, si quis nō accurata diligentia de his perpetuò cogitet: & eiusmodi homines negligentia suæ pœnas, cùm temporarias, tum æternas, sensuros: eamque ob causam, ad gratæ mentis significationem nobis elaborandum esse. De his, dum breuiter, pro mea tenuitate & consuetudine, dicturus sum, vestram quæso adolescentes curam diligentiamque in audiendo adiungite.

Ingens Dei beneficium est, quòd homines in hoc Mundo, veluti amplissimo teatro constituit: vt cùm hanc cœli fabricam, cùm globum terræ eminentem è mari fixum, cùm tot cœli flammæ & sydera, ac in his moderatorem & ducem Solē, Lunam accretione & diminutione luminis quasi mensium notantem & significantem dies, cùm maria, amnes, syluas, & totum illum campi ornatum, cùm quæ in his cernuntur quadrupedia, pisces, cùm auiū volatum, cùm quæ in medio aëre meteora, vt vocant, se ostendunt, intuemur: non possumus dubitare, quin his præsit aliquis conditor, vel effector moderatorque; tanti operis & muneris. Itaque D. Apostolus, Romanis scribens, cōfirmat, inuisibilia illius, ex creatione Mundi & per opera intelligi: & præterea illis omnem ignorantia prætextum eripi. Res ergo præclara est, horum omnium diligens accurataque meditatio: quam cùm

cùm Philosophia explicet, in cœlum vsque laudibus vehitur. Quanquam autem illi suam laudem relinquimus: & libenter confitemur, in hac rerũ vniuersitate, creatorem conspici: esse etiam in ijs multum operæ studijque ponendum: tamen in his non iudicamus solidam perfectamque Dei Opt. Max. perceptionem positam. Etsi enim in rerum natura, quasi pictura quædam opificis, eiusque & bonitatis & maiestatis conspicitur: tamen in hac humanarum mentium caligine, lux illa citò ex animis euanescit: ita vt creaturas pro creatore arripiant: imò Deum ipsum, in eas transforment. Quod sanè Apostolus loco suprà à nobis Rom. 1. allato, & scripta etiam Philosophorum testantur. Nam vt locum Paulinum, vobis antè notissimum prætermittamus: certè in libris M. Tullij, de Natura Deorum scriptis, legimus, Philosophos quidem plerosque omnes in eo consensisse, esse Deũ: interea autem, quasi eorũ quæ posuerãt, oblitos, alios quidem aërem Deum fecisse: alios aquam: Cicer. de Nat. Deor. lib. 1. alios sydera: alios ardorem lucis continentẽ orbem. Et quis tandem monstra illa opinionũ omnium commemoret? In illa ergo accurata meditatione, Philosophis id euenisse videmus, quod imperitis hominibus, qui tabulas artificio optico pictas (vulgò perspectiuas vocant) intuentur. In his enim superficies, nihil præter montes, arbores,

flumina & regiones ostendit: at si ad latus quis ad-
 stet, & per foramen ab artifice factum, picturam
 intueatur, imaginem Imperatoris aut Principis
 alicuius statim videt. Illi ergo, qui non eruditos
 oculos, ad hanc picturam afferunt, initiò quidem
 mirantur, talia ex recessu conspici: mox cùm se
 ad superficiem conuertunt, confirmant, illum vel
 Imperatorem, vel Principem, euanuisse. Ita eti-
 am, vt diximus, Philosophi nunc Deum in crea-
 turis aliquo modo agnoscunt: mox in aërem,
 ignem, aut alia quædam euanuisse dicunt. Præte-
 rea, quod maximum est, de Dei voluntate, &
 ipsius erga nos paterno animo, nihil certi possunt
 apud animos suos constituere. Cùm ergo ea rerū
 diuinarū perceptio, quæ ex creaturis sumitur, ad
 solidam Dei agnitionem non sufficiat, non est in
 hac tam necessaria meditatione, palma Philoso-
 phiæ tribuenda: sed statuendum, eius rei veram
 intelligentiam, à maiore quadam Facultate pro-
 ficisci. Videlicet Sacris literis, quæ germanam no-
 bis Dei imaginem proponunt: quòd Vnus &
 Trinus: quòd omnipotēs: quòd paterno erga nos
 animo affectus sit. Sed ne hæc quidem ad solidas
 immotasq; fidei rationes sufficerent, nisi pulcher-
 rima illa imago indulgentiæ diuinæ, nobis in Filio
 demonstraretur: in quo, ceu speculo, illa omnis cō-
 spicitur. In Christo ergo, eiusq; beneficijs descri-
 bendis,

bendis, imò verò depingendis potiùs, sancta illa
Patrù & Prophetarù antiquitas elaborauit. Imò 1. Cor. 10.
verò, vt Apostolus testatur, Christus petra illa in-
uicta, populù suù semper comitatus est, protexit,
& à vi hostiù potenti manu asseruit: & luculenter
multiplici sua indulgentia docuit, quanti suos ho-
mines faceret. Semper etiã per Prophetas Ecclesi-
am de suo aduentu, liberatione, meritis, docuit.
Accesserunt & sacrificia illa antiqua, Dñi mandato
instituta: vt essent picturæ passionis ipsius. Hæc be-
neficia, in priscâ illâ Ecclesiam collata, tanta sunt,
vt nullius oratione explicari satis possint: sed fue-
runt tamen in his duntaxat vmbre & quasi primæ
lineæ futurorù bonorù, & venturæ victimæ: sic. n. Heb. 10.
Paulus de ijs loquitur. Quantù aut imago à facie
hominis, quã repræsentat, quantum vmbra à cor-
pore distat, tantò maiora sunt ea, de quibus nunc
dicendù nobis est, superioribus illis, de quib. egi-
mus. Nam Dei sapientia, Filius Patris vnigenitus,
qui primùm suam maiestatem & bonitatē, sicut
& Pater, & sanctus Spiritus, in rerù omniù crea-
tione ostenderat: & deinde Prophetarù scriptis,
ceu viuis coloribus, se expresserat: tandem ipse ve-
nire, & carnem humanam assumere dignatus
est. Quæ sanè res, tanta est, vt superiora omnia
diuinæ præsentia & clementia indicia, longo
post se interuallo relinquat. Est in hoc Christi

aduentu, tanta clementiæ Diuinæ lux, vt quem-
admodum radijs solaribus, acies nostræ sensusque
vincitur, ita mens nostra, res illas maximas intu-
ens, hebescat : & in accurata etiam meditatione,
cùm earum magnitudinem nulla ex parte capiat,
aut assequatur, planè succumbat.

Committendum tamen non est, vt in his pro
modulo ingenij nostri expendendis, ac celebran-
dis etiam, fatigemur. Quod dum ego facio, quæso
vt me patienter audiatis.

Primùm ergo, cùm Dei natura oculorum ob-
tutum effugiat, tanta eius bonitas fuit, vt ex arca-
na sua sede prodire, ac miseris se afflictissimisque
hominib. conspiciendū præbere voluerit. Quod,
1. Ioan. 1. inquit Ioannes, erat ab initio, quod audiui-
mus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus,
& manus nostræ contrectauerunt de sermone
vitæ, &c. annunciauimus vobis, Vix à magnis Re-
gibus & Satrapis impetratur, vt in colloquium,
homines etiam in dignitate constitutos admit-
tant: at Mediator ille noster, ita clemēs est, vt ipse
Genes. 3. ipsius facie, veluti primi etiam parentes nostri,
cæstro peccatorum perciti, profugerimus, incredi-
bilis ipsius erga nos amor effecit, vt de cœlis de-
scenderet, & nos per omnia pericula, & quidē per
mortem ipsam sequeretur.

Iam verò, si pro sua maiestate corpus assumere voluisset, ne amplitudo quidem huius Mundi satisfacisset ei: cuius solum, cœlum est, & terra, scabellum pedum: cui si conferantur omnes Gentes, sint instar guttæ pendentis ab vrna.

Quòd si ea forma, qua Deus Pater Danieli Dan. 7. visus est, hominibus se ostendere, & totus igneus conspici, fulminibus etiam ex ore iactis, loqui nobis voluisset: quis eius conspectum ferre, quis tonitrua illa audire potuisset? Trepidabant olim Hebræi, cum in promulganda Lege, aliqua potentiæ suæ specimina daret. Quis autem in conspectum eius venire potuisset, cuius vel vestigia saltem reformidamus? Sed hîc apud animos vestros, optimi adolescentes, perpendite, quantum illud specimen clementiæ sit, quòd magnus ille rerum omnium Dominus, quem ne totus quidem hic Mundus caperet, humana forma, & sanè blanda illa pueri infantis, conspici, quòd fascijs inuolui vilioribus illis, & imponi præsepi voluerit. Luc. 2.

Est & hoc in beneficij maximi loco ponendū, quòd non corpus temporarium, quemadmodū Angeli solent, assumpsit, quod semel atque iterum monstratum, statim deponeret, sed verum, quod in omnem æternitatem retineret. Nec est in illa assumptione *παρ' αὐτοῦ* quædam naturarum,

vt impiè sensit Nestorius: sed vtræque Naturæ vnità, vnam personam constituunt: quarum tam arctum est vnionis vinculum, vt ne mors quidem illas diuellere potuerit. Quam vnionem, Patres similitudine animæ & corpóris exprimere voluerunt. Quemadmodum enim Anima humana corpus informat, vt animatum & sit & dicatur: sic diuina in Christo natura, suam maiestatem humanæ communicat: ita vt caro Christi viuifica, omnipotens, & omniscia sit: & propterea etiam vnà cū Diuinitate adoretur. Neque enim audiendi fanatici sunt, qui humanā Christi naturam, omni propè maiestate exuentes, inopiam quandam & indigentiam ei adscribere conantur: quæ certè sine maxima blasphemia dici nequeunt. Nam si diuinæ duntaxat eius naturæ, omnia quæ maiestatis sunt, tribuuntur: quomodo locum habebunt ipsius Christi verba, dicentis:

Matth. 28.

Ioan. 1.

sibi omnem potestatem in cœlo & terra datam esse? Et Ioannes Apostolus testatur, homines vidisse gloriam eius, quasi vnigeniti à Patre. Iam si λόγος & omnipotentiam & gloriam semper habuit, quomodo eam accepisse dicitur? Certè secundum humanam naturam. Quod, si verū est, quis negauerit, Dei Filium naturam assumptam omnipotentia exornasse, cūm omnis potestas in cœlo & terra, ac omnipotentia, sint ἰσοδυναμοῦντα

Miran-

Mirando tamen consilio naturæ illæ ita vnitæ sunt, vt interim illarum nulla confusio, aut adæquatio facta sit; quemadmodum ne anima quidem humana, in corpus abit; cùm tamen vim omnem huic tribuat; vnde corpus animatum quidem, sed non anima, dicitur.

Verùm, vt ex hoc diuerticulo, ad ipsam Domini natiuitatem veniamus; hoc quoque memoria nostra dignum est: quòd cùm λόγος hominem vel ex terra, quod primò fecerat, vel alio elemento, creare potuerit, eumque in vnitatem personæ assumere; tamen admirando consilio, virginis castissimæ corpore, ad eam rem vti voluerit. Nam cùm hominum propagatio ex primo illo vitio corrupta planè, deprauataque esset: propterea quòd impuritas illa peccati in omnem posteritatem transmitteretur: Christus Dominus absque Patre, de matre nasci voluit: vt pura illibataque esset conceptio; seruitura summis nostris emolumentis. Deinde, vt Basilii loquitur,

Genes. 2.

Basil. in
orat. de
Natiuit.

ἢ τῆς πρῶτου σώμα, ἐργασίῳ τῆς οἰκονομίας esse voluit, vt Prophetarum vaticinia complementum haberent, qui Christum semen & Abraham & Dauidis ac virginis filiū prædixerūt. Assignat Augustinus eruditè & aliã causam, noluisse Dñm alium creare hominem, vt hostis ille mortalium ab eo vin-

cere-

De Trinit.
lib. 12. cap.
16.

ceretur, qui eius esset Filius, quem ipse antè vicisset. Hæc autem sunt eius verba: Poterat vtique Deus hominem aliunde suscipere, in quo esset Mediator Dei & hominum, non de genere illius Adam, qui peccato suo genus obligauit humanum, sicut ipsum quem primò creauit, non de genere creauit alicuius. Poterat ergo vel alio, quo vellet, modo, creare vnum alium hominem, de quo vinceretur victor prioris: sed meliùs iudicauit, vt de ipso, quod victum fuerat genere, assumeret hominem Deus, per quem generis humani vinceret inimicum. Et tamen ex virgine, cuius conceptum Spiritus, non caro, fides, non libido præuenit. Et hæc tamen quidem Augustinus. Denique, cùm ille instaurator salutis nostræ Iesus Christus, cuperet nobis quàm coniunctissimus esse: id esse, quòd nos sumus (excepto tamen peccato) voluit; vt sciremus, omnia nos ab ipso, tanquam Fratre expectare debere. De quo nunc in secunda parte dicendi locus dabitur.

Hæc autem dicere voluimus, adolescentes, vt de dignitate & sublimitate huius mysterij, apud animos vestros rectiùs & accuratiùs cogitare possitis. Sed in ea tã sublimi cogitatione cõsiliium D. Chrysofomi sequendum est, qui nos eruditè admodum monet, res Diuinas, quæ captum ingenij nostri superent, fide apprehendas

Chryf. in
1. Cor. 1.

esse : Haud aliter , quàm carbones candentes , for-
cipe non manu apprehendamus . Cogitemus , res
tantas , non metiendas esse angustijs animorum
nostrorum : sed in his tribuendam laudem ve-
ritatis ei , qui , cùm ipsa sit veritas , mentiri ne-
scit .

Et hæc sanè de prima parte orationis nostræ
dixisse sufficiant . Verùm ad secundum eius caput
accedamus : in quo ostendemus , natiuitatem Ser-
uatoris Domini , totam nostram esse : & per eam
ad genus mortalium , ceu per aureum canalem ,
omnis generis bona deriuari . Quod ostensurus
Propheta Esaias , capite nono scribit : Puerum Isai. 9.
NOBIS natum : filium NOBIS datum esse .
Cùm autem in ipso omnium , quæ cœlo terra-
que continentur , thesauri , repositi sint , ipse ve-
rò nos in bonorum suorum omnium societa-
tem venire velit : intelligimus , permagnam rem
nostram agi , quando de Christi natiuitate com-
mentamur . Quæ res , etsi nulla eloquentia satis
explicari potest , nos tamen breuissimè capita dū-
taxat & summulas recitabimus : relicturi alijs , qui
maioribus donis instructi sunt , horum pleniorẽ
tractationem .

Videtur autem mihi D. Paulus summam be-
neficiorum Christi , luculenter admodum com-
plexus ,

xus, cùm eum multis locis, vocat caput Eccle-
 siæ. In primis autem ad Ephesios quarto, præclare
 Ephes. 4. ea de re in hæc verba scripsit: Adolescamus in
 Colo. 1. & 2. illum per omnia, qui est caput, nempe Christus:
 in quo totum corpus si coagmentetur & com-
 pingatur, per omnem commissuram submini-
 strationis, iuxta actum in mensura vniuscuius-
 que partis, incrementum corporis facit, in ædi-
 ficationem sui ipsius per charitatem. Voluit
 Apostolus his verbis ostendere, quemadmo-
 dum omnis vigor à capite in membra defluat,
 & spargatur: ita omnia bona, à Christo, in Eccle-
 siam deriuari. Accessit etiam commonefactio de
 charitate, quam nunc prætermittimus. Non
 certè breuiùs & luculentius ea de re dicere pote-
 rat Apostolus. Sed videamus, quomodo id in
 Christi natiuitate conspiciatur, & quid à Christo
 capite nostro ad nos vtilitatis redeat. Principiò
 nouimus, totum corpus à capite commendatio-
 nem habere: eosque formosos dici, qui in capi-
 te elegantiam ostendunt. Ita cùm Christus ca-
 put Ecclesiæ, speciosus forma, vt Psaltes loquitur,
 Psal. 45. præ filiis hominum, non Angelos, sed semen
 Heb. 2. Abrahæ, assumeret: incredibilis gratia & sum-
 mus honor hominibus accessit. Quis enim non
 intelligit, quanta ea in parte lux indulgentiæ di-
 uinæ cernatur: cùm ipse id hominibus tribuit,
 quod

quod sanctis Angelis negauit? Licet certè nobis ^{Ephes. 5.} cum Paulo dicere, nos Christi membra ex carne & ossibus eius esse; quod non conceditur Angelis. Non possunt parentes blandiùs de liberis suis loqui, quàm cum eos carnem & sanguinem suum vocant. Sed quanta ea in re suauitas est, quòd Christus non dedignatur, nos, & membra, & carnem suam, agnoscere? Quanquam enim alia parentum & liberorum, alia Christi & Ecclesiae ratio est; tamen intelligimus, voluisse Christum & Apostolos, hac similitudine, summam conjunctionem & societatem, qua alia maior existere non possit, significare. At verò, vt elegantia capitis hominem commendat, quemadmodum suprà diximus: ita Christus vnigenitus Dei Filius, nos gratiosos facit apud Patrem: vt cum fiducia accessum ad ipsum habeamus: ^{Ephes. 3.} qui alioquin à regno Dei eramus exulaturi. Quid multis? ipse etiam vitam nobis communicat: quemadmodum in corpore humano, nerui à capite descendentes, motum & agitationem omnibus membris suppeditant. Nam eramus omnes, vt Apostolus loquitur, ^{Ephes. 2.} mortui peccatis & eneruati: quia ea innocentia & puritate, quam à nobis requirebat Dominus, destituebamur. Cùm autem

caput nostrum, humanam naturam assumeret, innocentiam, iustitiam & sanctimoniam suam, nobis donauit: & impuritatem originis nostræ, Sacrosancta sua natiuitate repurgauit: Non quidem vt ea non sit, sed vt ne ea nobis imputetur. Hoc illud est semen, quod patribus promittebatur, in quo benedicendæ sint omnes Gentes.

Genes. 22.

Deus enim in toto humano genere, præter maledictionem nihil inuenit; estque homo nihil aliud, quàm officina mortis & condemnationis. Semen autem illud benedictum, veluti salutaris quædam vena, sua saluberrima natiuitate, benedictionem & vitam nobis restituit. Etenim, cùm ea deformitas, quam à prima origine conceperamus, nos inuisos Deo faceret, & in eam indignationem numinis conijceret, vt rei æternæ mortis essemus; Christus Dominus, restituta nobis benedictione, & offensam illam omnem abstulit, nosque Filios Dei renunciauit;

Ioan. 1. Gal.
4. Psal. 22.
Matth. 12
Ephes. 5.

suosque Fratres, Amicos, Membra, Carnem esse voluit. Quemadmodum autem Pater cœlestis nihil charius & præstantius habet suo Filio; ita & nos, quamuis indignos, propter ipsum, & amat, & suos esse agnoscit. Iam ergo, beneficio capitis nostri viuimus; & quasi perfecti homines declaramur. De quo eleganter pronunciauit Apostolus, cùm ita scribit: Viuo autem,

non

non iam ego, sed uiuit in me Christus. Et iterum: Mihi vita Christus est, mors lucrum. Et in Romanis: Siue uiuimus, Domino uiuimus: siue morimur, Domino morimur. Iure ergo optimo, puer ille, vitæ & reconcilia-
tionis nostræ procurator liberalissimus, & ab Angelo, & cùm circumcideretur, Iesus uocatus est: quia & à peccato, & omni nos reatu, & proinde etiam morte ipsa, liberauit. Rectè etiam ab Esaia admirabilis, consiliarius, Deus Fortis, pater æternitatis, princeps pacis uocatur: quia mirando consilio, assumpta humana Natura, rebus humanis consuluit. Nam cùm ipse Deus fortis sit, vim omnem Diabolorum propulsauit: & soluto omni reatu, pacem nobis sempiternam conciliauit. Quæ res, tanta est, ut Angeli, Spiritus illi cœlestes præclarissimi, pulcherrimo concentu, hoc beneficium celebrauerint, canentes: Gloria in Excelsis, Pax in terra, & hominibus bona uoluntas. Verùm nondum omnia capitis nostri beneficia recensuimus: sed in his illud etiam minime contemnendum est, quòd, ut alioquin caput per os, Spiritum & refrigerium præbet pulmonibus, imò verò cordi, & toti corpori: ita caput nostrum, spiritu sancto suo, nostras mentes reficit atque recreat: ne in tentationibus grauioribus illis succumbamus, sed in omnibus pugnis abeamus.

Gal. 2.
Philip. 1.
Rom. 14.

Matth. 1.
Luc. 2.
Esa. 9.

Luc. 2.

Gal. 4.
Rom. 8.

mus victores. Is nos spiritus erudit, vt magno animo pronunciemus illud Abba Pater. Is cum ad precandum alioquin inepti fimus, intercedit pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Hic est spiritus ille, qui & accipitur, & redditur, in illo spirituali corpore Ecclesiæ, qui & arrabo est, & sigillum salutis nostræ, per quem perpetua illa consolatione reficimur, & certiores reddimur, nos esse Dei Filios. Præterea, beneficio capitis Christi, totum Ecclesiæ corpus, ita reformatur, vt blandas illas voces Dei Patris audiat: nos iam non amplius hostes, quod à prima origine nostra eramus, sed hæredes esse & Domesticos Dei. Per Christum nobis natum, oculos inuenimus, quibus ne vmbra quidem mortis possit tenebras offundere. Sicut Psaltes olim cecinit: Etsi ambulauero in valle vmbre mortis, non timebo, quia tu mecum es. Nam puer ille, est lux vera, illuminans omnem hominem, venientem in hunc Mundum. Ipse est lux illa magna, quam viderunt populi, qui ambulabant in tenebris, & vmbra mortis. Ipse est Lucifer exoriens in cordibus nostris, & viam nobis salutis monstrans. His oculis Simeon ille, iustitiæ nomine celebris, mortem intuebatur: & quidem ita, vt sibi eam perfugium portumque malorum omnium videret. Intuebatur enim salutare Domini: intuebatur lucem illam Gentium: intuebatur

Ephes. 2.

Psal. 23.

Ioan. 1.

Esai. 9.

2. Pet. 1.
Luc 2.

tur

tur gloriam veram illam Israël. O nos felices
isto capite, quod oculos nobis subministrat, qui
ne ipsa quidem mortis caligine claudentur. O læ-
tum illum diem, cum ille præstantissimus oculus
salutis nostræ, Iesus Christus, nos ad concilium il-
lud cœtumque beatorum, ducturus est. O specta-
culum omnibus rebus humanis præferendum,
quando caput illud nostrum, beatas illas sedes,
quas in domo Patris nobis præparauit, ostensurū
est. Et vt stella sapientes illos ad casam, in qua Matth. 2.
erat ipse, deduxit: ita Sol ille iustitiæ, cum depo-
nendum hoc onus corpusculi est, ad ciuitatem il- Heb. 11.
lam, cuius opifex est Deus, æternamque patriam,
nobis viam monstraturus est. De quo sanè mini-
mè nobis dubitandum est: cum Christus Domi-
nus, se, vt fidissimum caput, nostra causa omnibus
periculis obiecerit: imò verò ideo homo factus
fit, vt ad omnes nostras miserias descenderet.
Etenim diuina natura per se omnis doloris &
cruciatu est expers. Cum autem reatus noster,
non sola indulgentia posset expiari, sed victima
omnino esset opus, vt ne quid ad accuratissi-
mas rationes iustitiæ iudicijque diuini desidera-
retur: ipse Seruator Dominus carnem indu-
it, vt ad omnem satisfactionem esset paratus.
Et quidem, quòd hoc vellet, statim cum nascere-
tur,

tur, docuit. Nam in ipso hospiti o, exilium perpeti voluit: cum ex hominum conuictu ad iumentata detruderetur: cum pro cunis, præsepi, pro fascijs elegantioribus, vilissimis pannis vteretur: cum in ipsa infantia, ex patria etiam profugere cogeretur: & tandem vinculis, sputis, flagellis, tormentis, corpus suum excrucians obijceret. Quid hoc amore maius? quid ardentius vel excogitari quidem posset? Homines Ethnici (puto enim, mihi adolescentum causa licere, aliquid ex Scholis ipsorum, ad has res sacras, memoriæ causa, afferre) vt ostenderent, veræ amicitia summam esse vim & pulchritudinem, quæ in hominum animis incredibiles amores excitare possit, fictis fabulis prodiderunt, Orestem & Pyladem coniunctissimos amicos, coram Tyranno contendisse, vter Orestes & Pylades esset: cum vterque pro altero mortem optere esset paratus, nec rex eum, cui mortem & supplicia decreuerat, ab altero internosceret. Simile commentum est, de Damone & Pythia Pythagoreis: quorum cum alteri Dionysius Syracusanus diem necis destinasset, & is paucos dies (vtar enim verbis Tullij) commendandorum suorum causa postulauisset, vas est factus alter, eius sistendi, vt si ille non reuertisset, moriendum esset ipsi. Qui cum ad diem se recepisset, admiratus eorum fidem

Tyran-

Cic. de finib. lib. 2. & 5.

Cic. lib. 3. offic.

Tyrannus, petiuit, vt se in amicitiam tertium ad-
scriberent. His fabulis maiorem in modum olim
delectabantur Ethnici; & Cicero scribit, figmen-
to illo de Oreste, animos hominũ ita permotos fu-
isse, vt cum ageretur illa fabula, in Theatris sum-
mi clamores plebis excitarentur, & nemo esset,
qui nõ vtrosq; saluos cuperet: quãuis scirent rē agi
fictam & fabulosam. Et sic quidem ad commen-
dationem veræ & constantis amicitiaẽ elaborabãt
olim Poëtæ. At verò, nobis his ludis ingenij opus
nõ est: cùm iam de eo benefactore, & amico aga-
mus, qui maiora & luculentiora præstitit, quàm
erudita antiquitas, figmentis illis suis assecuta vi-
deatur. Nam Christus Dominus, non se pro no-
bis vadem, sed victimam dedit: non à Tyranno
Siculo, qui ad tempus cruciatus corporibus affer-
ret, sed diabolo, qui ad perpetua tormenta & cor-
pora & animas abrepturus erat, nos liberauit: ipse
personam non amici, sed serui nostra causa sum-
psit: & cùm ipse pati non posset, tanto erga nos
amore exarsit, vt assumpta carne, miserias, dolo-
res, cruciat⁹ & mortē ipsam subire daretur. Quid?
quòd non pro amicis, sed inimicis & hostibus,
moritur: cuius beneficij exemplum, vt Paulus tes-
tatur, inter mortales nullum vnquam extitit? Rom. 5.
Quid? quòd & in sepulchrum & ipsos inferos pe-
netrare voluit, vt cùm ipse caput nostrum, inde

emergeret; nos eius membra, in his miserijs & cruciatibus nō detineremur, sed pduceremur ad cœlos, vnde ipse descenderat: & quidē eā ob causam, vt ad patrē, cœlestesq; illas ac beatas sedes rediēs, nos sibi adiūgeret comites. Quas ergo huic benefactori gratias debemus, q̄ tātis nos beneficijs affecit, vt ea vix animus noster capere possit? Quis nobis verba, imò verò, quis cogitationes suppeditabit, quib. illa vel celebremus, vel saltē ppēdamus?

Ex his iam facilē coniecturā facere possumus, de eo, quod tertium membrum orationis nostræ esse volumus, quàm detestanda multorum sit obliuio, qui de his tantis rebus, aut nunquam, aut certē non accuratē, cogitant: qui ne ad minimos quidem conatus referendæ gratiæ elaborant. Ingratum olim hospitem, non modò infamia, sed stigmatibus etiam, notabant. Quæ autem pœna par eius hominis delicto decerni potest, qui, cūm hospitio eius vteretur, cui non satis fuit, ad demonstrandum amorem erga nos suum, omnia nobis offerre, nisi etiam vitam profunderet, & insuper carne ac sanguine suo nos recrearet, pasceretque ad vitam æternam: ille ingratus non solum referendæ gratiæ esset immemor, sed fateretur etiam, ex sola beneficij commemoratione, sibi creari molestiam. Est sanè horum hominum maior stupor, quàm iumentorum. Ea enim & heros, & bene-

benefactores suos agnoscunt: illi verò, de quibus nobis sermo est, tot tantaque beneficia à Domino Dominorū profecta, turpissima & detestanda obliuione obruūt. Et isti sanè, non modò impunitatem sibi promittunt, sed persuasum etiam ipsis est, nullam se iacturam facere, si maximè omnem harum rerum curam abijciant. Sed cogitate quæso, adolescentes, apud animos vestros, quantos illi vtrò thesauros abijciant. Nam cùm impietas, & neglectio etiam oblatorum bonorum, eos à capite Christo abstrahat: quis non videt, eos esse veluti truncum à capite auulsum? Et cùm à vite nobili illa, auferri se patiantur, & cogitationes suas in voluptates, resque humiles contemptasq; abiecerint: quis non intelligit, eos iam ipsius iudicis sententia, igni infernali destinatos esse. Hæc etiam ingratitude efficit, vt à tanto benefactore deserantur, vt discedant etiã ab ipsis Angeli, perpetui huius comites!: quorū præsidio & custodia, cùm orbatu fuerint: quid superest, quàm vt se Diaboli laqueis quotidie induat: donec tandè ab ipso ad tormenta perpetua rapiantur? Negligebatur Christus & ab Hebræis, & Rege Herode, cū natus esset in oppidulo Bethlehemitico. Sed quæ post annos plūs minūs septuaginta, pœnæ eos exceperūt, cū tota illa regio ab hoste Ro. vastaretur, ipsi fame, peste, gladio hostili, exilio, ita plecterentur,

vt ea calamitas omni exemplo careat? Sed præclarè cum illis omnibus fuisset actum, si is dies, qui vitam eis aspectumque huius lucis abruptit, pœnas omnes sustulisset. Sed ingratis illi, ita sunt mortui, vt per externam illam, ad æternam mortem fenestra, imò verò vorago æternorum cruciatuum ipsis aperiretur: in quibus hodie illorum animæ seueritatem iudicij diuini, ac iustas pœnas contemptus & negligentia suæ experiuntur. Quas sanè pœnas, Dominus eis conduplicaturus est, cum die vltimo & corpora illorum in barathrum illud ignis infernalis præcipitaturus est. Verùm, cum Dominus ad eum modum populum suum punierit; cogitate Adolescentes, quanta supplicia subituri sint ij, qui cum aliquando essent extranei à promissionibus diuinis, vnà cum sapientibus illis ad regnum coeleste vocati sint: hæc tamen summa beneficia apud se vilescere sinunt: & in omnes libidines, & indignas homine Christiano voluptates, proiecti sunt. Eos sanè Dominus, ad longè grauiores pœnas vocaturus est: cum naturalibus ramis non pepercerit. In eorum autem numero, sunt omnes Christiani, qui hodie dissolutiùs viuunt. Nouimus enim, maiores olim nostros, Idololatricis olim superstitionibus immerfos fuisse: singulari autem Dei clementia, & ipsos, & eorum posteritatem, vocatos ad lucem

Euangelij, & concilium illud beatorum, quod in hoc Mundo habet Dominus. Summa ergo ingratitude est, quæ & coniunctas pœnas temporarias ac æternas habitura est, tantorum beneficiorum memoriam abijcere. Nobis autem in hoc incumbendum est diligenter, vt stellam illam verbi Dei, quæ singulari numinis beneficio, hoc nostro seculo nobis præluceat, magno studio accuratæque diligentia sequamur: ac toto conatu festinemus ad puerum Iesum, qui nobis est via, veritas & vita. Ei aurum Fidei offeramus, & thus pia- Matth. 2. rum precum, & inuocationis: nullos enim ei gratiores, quàm hos, odores incédere possumus. Afferramus & myrrhã patientiæ: vt cū summa ab ipso beneficia acceperimus, non dubitemus, si ita res postulauerit, aduersa etiam, ipsius causa, experiri: cogitantes, eum delicatum non fuisse, qui in præsepiti inter iumenta iacuerit, velle etiam suos tales esse. Cogitemus hoc etiam, si vnà cum ipso patiamur, & vnà regnatos. His accedat etiam gratitudo, quæ tantæ rei magnitudini debetur, ad quã sæpè, Adolescentes, hac oratione vos cohortari volui. Et de his omnibus, quæ diximus, commonefaciat vos canticum Angelorum. Nam, si præclarum mysterium illud natiuitatis Domini cæperpenderitis: intelligetis, gloriam & laudem


1811910

30 *Oratio de Natiuitate Christi.*

sempiternam Deo Opt. Max. deberi. Quòd si magnitudinem earum rerum, quæ longè maximæ à Sacrosancta illa natiuitate in genus humanū derivantur, expenderitis: gratissimo & hilari animo dicetis, hominibus veram solidamque pacem restitutam esse. Denique precabimini Iesum Christum, pro nobis hominem factum, vt ne patiatur nos & in obliuionem turpem tantorum beneficiorum, & pœnas, quas illa meretur, incidere: sed Spiritu sancto suo doceat, grata mente eorum perpetuam memoriam circumferre. Sic enim ^{eu d' on l'ap,} fauorem clementiamque Domini, quam Angeli nobis precantur, conseruabimus: & cum sanctis illis spiritibus, qui in cœlum, facta laudatione reuerſi sunt, Deum in omnem æternitatem laudabimus & celebrabimus,
Amen.

Pag. 12. lin. 2. lege: acies nostra. Pag. 16. lin. 7. lege: vel sic, vel alio.
Pag. 29. lin. 22. pro sæpe: lege, sanè.








Co quod in caude
 terminare sunt eloy
 haryate nre in. co
 ing abone r. eta. in. q. n. g. n. r.
 q. s. in. e. d. u. e. a. d. h. e. c. o. m. d. r. f. r. i. g. e. r.
 dum. d. u. e. h. o. p. o. s. i. t. e. a. n. d. i. s. t. a. n. t. i. s.
 h. u. i. d. u. m. **S**ed. h. i. c. q. e. a. z. e. r. i. n.
 d. i. s. t. a. n. t. i. e. a. r. g. u. m. e. n. t. u. m. a. p. p. u. s. n. a. t. u. s.
 i. n. i. n. s. i. s. t. i. b. i. c. a. s. i. d. i. t. a. t. i. s. r. f. r. i. g. o. r. a. t.
 t. i. m. i. n. a. t. i. o. n. e. s. a. r. t. i. s. p. r. i. m. a. r. i. a. n. e. s. u.
 r. i. g. e. n. e. s. r. i. d. u. m. i. g. e. n. e. s. a. m. s.
 h. u. m. e. t. a. n. e. s. r. a. t. e. f. a. c. i. e. n. t. i. e. s.
 h. e. r. e. t. i. d. i. d. u. r. a. n. t. e. s. r. i. n. o. s. s. i. s. t. e. n. t.
Art. d. e. u. e. i. n. p. r. e. t. e. r. i. b. u. s. d. e. t. e. r.
 i. n. i. n. a. t. a. s. u. n. t. r. a. s. u. a. r. d. e. t. a. t. c. o. l.
 l. e. n. t. i. a. p. a. s. s. i. o. n. e. s. i. s. t. a. c. i. n. d.
 s. o. l. f. e. i. p. s. i. r. q. u. e. d. a. p. s. i. a. e. t. a. n. d. o.
 b. i. c. o. r. p. o. s. a. d. i. s. t. a. n. t. **Z**em. p. l. s. f.
 g. e. t. e. r. b. i. d. i. s. p. h. i. s. t. o. r. i. a. e. c. i. n. d. i. s. d. e. t. e. r.
 i. n. i. n. a. t. a. s. u. n. t. i. n. d. i. s. t. a. n. t. e. s. s. i. m.
 c. a. n. d. r. g. e. t. i. d. u. m. a. c. t. i. n. a. d. i. n. d. e.
 q. d. a. g. r. e. g. a. t. i. a. n. d. u. s. n. e. l. u. c. a. c. t. i. u. i.

Simul quod magis est impletur ut
 iudicium punitio haryate
 tuctat de quaf. r. s. i. a. c. o. m. t. o. u.
 i. n. p. r. i. o. r. o. b. i. n. n. o. r. u. a. l. e. b. e. e. s. p.
 p. l. a. n. t. i. i. n. i. m. e. r. r. a. t. i. b. u. s. r. e. p. t. u. b.
 e. o. y. e. t. a. n. s. i. m. p. l. e. r. e. r. a. t. i. o. n. e. s.
 g. r. a. t. i. o. p. r. i. m. a. r. i. a. t. i. o. s. i. b. u. s. i. n. t. r. a. t. i.
 t. b. i. a. u. e. h. a. t. s. p. o. r. t. i. n. e. r. a. t. i. b. a.
 i. n. d. i. a. u. n. i. t. a. t. u. s. n. a. t. u. r. e. h. e. r. e. t. i. o.
 s. u. n. t. d. i. c. t. e. i. n. t. r. i. t. e. s. p. a. s. s. i. o. n. e. n.
Significat s. i. r. r. a. n. d. u. s. r. f. r. i. g. o. r. a. n. t.
 i. n. u. c. e. n. t. i. a. m. a. t. t. a. m. c. u. m. h. o. t. i. o.
 i. n. d. i. c. r. s. i. g. e. n. t. i. a. l. i. q. u. e. r. a. n. t. i. s. d.
 p. r. e. t. i. n. s. e. m. p. f. r. e. i. n. o. l. e. n. t. i. o. r. i. n. d. i.
 g. e. t. i. o. f. r. **S**impli. n. a. m. e. g. i. a. b.
 t. o. m. s. i. u. a. m. p. e. p. t. i. o. n. e. e. s. t. e. p. u. r.
 r. e. f. a. r. t. o. o. m. n. i. s. q. u. i. p. p. u. r. t. e. t. i. o.
 n. i. c. o. r. r. u. p. t. o. s. e. d. o. m. n. a. t. u. a. m. i.
 h. a. c. u. a. e. t. a. u. t. a. d. a. m. t. e. n. e. r. e. t. i. s. r.
 u. e. t. u. s. b. a. t. f. u. n. t. h. o. y. c. u. m. d. o. y. e. s. t.
 p. u. r. t. e. f. f. o. u. s. p. u. r. t. e. d. o. n. h. e. q. u. i. d.
 u. i. o. l. e. n. t. i. a. c. o. r. r. u. p. t. a. t. u. r. e. q. u. i. d.
 u. e. t. u. s. b. a. t. f. u. n. t. h. o. y. c. u. m. d. o. y. e. s. t.
 p. u. r. t. e. f. f. o. u. s. p. u. r. t. e. d. o. n. h. e. q. u. i. d.
 u. i. o. l. e. n. t. i. a. c. o. r. r. u. p. t. a. t. u. r. e. q. u. i. d.

194 - 2001



FRANCIS

LEIPZIG
VERLAG